



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 183. Podiebracius Pragam urbem occupare intentus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXXXIII.

*Podiebracius Pragam urbem occupare
intentus.*

Podiebracius ea, qua valebat, sagacitate facile subodoratus est, jam sibi planam sterni viam, qua solus supremas Regni habenas capeßere, ac rei summam moderari posset. Nihilominus civium consiliis annuit, ea tantum lege, ut probatæ fidei ac prudentiæ Viros prius in urbem mitterent, qui Hussitarum vires & studia explorarent; His omnia fausta referentibus, invadendæ urbis dies constituitur, dato Hussitis negotio, ut cuidam veteris Pragæ domui concubia nocte flammam subjicerent, & ad restinguendum ignem concurrentibus Catholicis, novæ Pragæ portas Podiebracio totis factionis suæ viribus ingressuro aperirent. Nec consilio suus defuit eventus; quippe latius ob venti vehementiam furentibus flammis, Catholici, qui novam Pragam incolebant, ad primos incendii rumores in veterem urbem convolarunt, ignem extincturi. Hussitæ, cum jam soli in urbe remansissent, nullo negotio Pogebracium cum copiis introduxerunt. Hic, antequam Catholici eum castra movisse cognoscerent, jamjam pontem, qui
utram-

utramque urbem interfecat, occupavit,
& muros feliciter transcendit.

Secul. XV.
A.C. 1448.

§. CLXXXIV.

Mainardus captivus abductus obit.

Podiebracius jam urbe potitus ignem *En. Sylv.*
extinguere, & domos flammarum vio- *hist. Boh. c. 28*
lentiae magis obnoxias solo æquare,
milites suos jubet: Resistentes passim tru-
cidantur, Mainardus quoque captus arcto
carceri addicitur, ibique tandem obit, si-
ve veneno, sive fame, sive, ut plerique pu-
tant, tædio confectus, cum jamjam pro-
vectæ ætatis senex esset. Ex illo tem-
pore Podiebracius urbis dominium, &
Regni administrationem sibi soli vendi-
cabat: Rochisana quoque, nullis licet
Papæ literis munitus esset, Pragensis Ec-
clesiæ Sedem invasit, & Archiepiscopi
munia obivit, necquidquam obluantibus
Udalrico Mainardi Filio, & altero Udalri-
co de Rosis Barone Catholico.

§. CLXXXV.

*Adornata ab Huniade in Turcas
expeditio.*

Inter hæc Joannes Huniades Hunga-
riæ Gubernator ignominiam prælii
Varnensis abolere, sui que nominis famam
refarcire maxime cupidus erat; hinc de-

O 4 lectu